



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Bruno Ep. 11. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

638 VITÆ SANCTORUM. II. Octob.
niquē ne dubites *Joannem* in cælum
evolasse, noveris ante mortem hunc vir-
gini è Vestalibus uni formâ aquilæ visum
esse, quæ nubes transcendens illa è sche-
dâ, quam rostro ferebat, verbo loque-
batur: *Amor meus Jესus*. Evolare ad
cælōs etiā tu cupis? ab hoc amore alas
mutuare, non illo qui humi repit. *Ex*
Surio.

*Quid tibi cum carne & sanguine, qui
divinam in te gestas imaginem? quid tibi
cum mundo & vitæis, qui ad hoc condi-
tus esse probaris, ut cælum conscendas,
atque cum angelicis spiritibus beatâ Dei
visione fruaris? S. Laur. Justin. de Cont.
mundi. c. 21.*

S. BRUNO EP. C. II. Octobris.

Fuit hic BRUNO Henrici Aucupis
German. Regis fil. Othonis. Imp.
frater. Scientias divinas juxtâ & hu-
manas calluit, sed eloquentiam imprimis,
quam pro miseris potissimum exeruit,
ut quorum semper bona causa est.
Temporis avarus nullum nisi literarum
otium amavit, ut quocumque demum
cum Imper. Fr. iret; famuli libri sequerentur,
suavissimè iter inter comites Mus-
fas facientem. Comitatus uti ipse singu-
lari erat, ita morum levitatem in aliis
summe oderat. Quare cum Henricum
Fr. & affinem Canonem sub divinis cont-
fabu-

II. *Job.* VITÆ SANCTORUM. 639
fabulantes vidisset, palàm edixit, intem-
pestivam illam familiaritatem semina-
rium fore maximarum inimicitiarum; id
quod postea orbis vidit. Censorem de-
bitum nostro avo, quo templa passim
aut fora fieri aut curias videmus, & ex
his exire sæpè, qui plurima hominibus,
nihil DEO, nihil Divis sunt locuti! Sed
mitto linguaces. Silentium potius in
BRUNONE laudo & frugalitatem,
quam Archiepiscopus jam Colonienfis
(uti & in vestibus modestiam) in Cano-
nicorum Collegium postliminiò reduxit,
utinam non iterum nunc ubique ferè
terrarum exulem! Ipse post maxima obi-
ta munia, post extracta aut reparata
templa & cœnobia plurima, ut pacis
amans & pacis conciliandæ inter viros
principes mirus artifex, excessit è vitâ,
anno post DEUM hominem D. CCCC.
LXV. cælum moriens multis lacrymis
mollivit, & crebro gemitu, velut arie-
te, perrupit. *Ex Lippeloo.*

*Esto Angelus, hoc est, divini minister
imperii: obsequere mandatis Domini:
cum fueris Angelus, videbis faciem Do-
mini. Ipse Dominus IESUS ait. Beati
mundo corde: ipsi enim Deum videbunt.
Advertis, quid à te exigatur ut videas
Deum? Emunda igitur cor tuum. S. Am-
bros. in Ps. 118.*

B. IA.